



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Primitivæ Ecclesiæ fideles à capitis coronis religiosè abstinuisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

hunc modum charitatis coronâ, & sanguinis sui purpurâ, tanquam veste nuptiali subornatus est, diem suæ desponsationis appellavit. Quod spectant B. Theodoretus verba, in illud Cant: 3. *Egredimini filia Sion, &c.* ita scribentis: *Spinis illum contemptus causâ coronavit*, scilicet Judæa aut Synagoga: ipse verò per spinas suscepit diadema charitatis. Sponte enim ignominiam perculit, atq; ultro ad mortem cessit. *Quamobrem desponsationis diem illam vocavit, & diem lætitiæ cordis ejus.* Hæc Theodoretus.

§. 2.

Primitivæ Ecclesiæ fideles à capitis coronis religiose abstinuisse.

PRisci Christiani, jam ab ipsis Ecclesiæ principiis, florèâ frondeâve coronâ caputnectere, religioni habuere. Id enim tum ex Minutio Felice constat Scriptore perantiquo, dum Cæcilium quendam inducit, Christianis, inter cætera, in quibus ab usu sensûq; communi odiosè recederent, id etiam objectantem: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis*: tum maximè ex Tertulliano, in libro de corona militis ex ea occasione scripto; quòd, cum milites, festo solemnè Imperatorum, laureati omnes ad donativum ex eorundem liberalitate recipiendum procederent, quidam illorum, quòd Christianus esset, non processisset coronatus ut cæteri, sed manu duntaxat lauream gestans, aut (veluti loquitur Tertullianus) *coronamento in manu osioso*. Cujus liberum & audax factum nonnullis exinde improbantibus, quòd intemptivâ religione Christianam pacem in novum discrimen adducere visus esset; ipse eâ præsertim ratione defendit, quòd fidelem coronari non permitteret recepta traditio, & vulgata Christianorum disciplina. Hujus autem (ut ipse appellat) observationis inveteratæ, de coron. cum alias plures rationes adferat, ad extremum illam sub-
milit. 2. & 3.

N n n n ijcit,

ijicit, de qua nunc agimus, exemplum videlicet Christi, gignoso sermo ad ludibrium atque tormentum coronati. Eius verba sunt ista cap: 14. *Quale, oro te, sertum Christus JESU subijt? Ex spinis, opinor, eribulis, in figuram delictorum, qua nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus crucis, amens aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantia obtundens. Et postea: Si ob hac caput tuum illi debes, tale si potes ei responde, quale suum pro tuo obtulit; aut nec floribus coroneris, si spiritum non potes; quia non floribus potes.* Clemens etiam Alexandrinus, æqualis eorundem temporum lib: 2. Pædagogi Christianos mores instruens, negat Christianum floribus coronari debere: alienum quippe à ratione esse, ut qui auctorimus Dominum spinis coronatum fuisse, ipsi venerabili passioni per ludum insultantes, habeamus capita redimenda floribus. Et quanquam non ea (saltem universim) fruisse videatur veterum Christianorum religio, ut florata usum ab sese in totum abdicarent: his enim (teste Minutio) *et sparsis utebantur mollibus ac solutis, et sertis colla circumpletebantur; & coronas solum arcebat à capite, reverentia Dominicæ Passionis: tamen & Clemens Alexandrinus loquenter pronunciat: Qui præter aspectum, usus eorum percipitur, (florum scilicet, petulantia est; & si aliquid plus concedendum videatur, ad extremum atque ægrè tandem, eorum insuper odorationem Christiano permittit: & Tertullianus, qui quâdam veluti indulgentiâ, concedit potius terrenos flores in sinum eondi, in lectulum spargi, aut in alios innocentes usus, quàm ad nexum capitis, adhiberi; idcirco tamen postea satis ostendit, de ejusmodi deliciarum universo genere quid sentiat, dum Christianum suaviter hortatur, ut cum Christum habeat florem celestem, incorruptum, æternum, floribus interim morituris absteinat. Illius verba mox subijciam.*

cap: 8.

cap: 5.